



Boletín Oficial

DEL

Obispado de Osma

Año LXXII. 17 DE NOVIEMBRE DE 1931 Núm. XIX.

SUMARIO.—S. C. de Sacramentis. Instrucción a los Reverendísimos Ordinarios dando reglas para la formación del expediente de Ordenes.—Secretaría de Cámara y Gobierno: Edicto para la adjudicación de dotes a doncellas huérfanas y pobres.—Conferencia moral y litúrgica.—Tabla de sermones que han de celebrarse en la S. I. Catedral en 1931-1932.

Sacra Congregatio de Sacramentis INSTRUCTIO

AD RDMOS. LOCORUM ORDINARIOS DE SCRUTINIO ALUMNORUM PERAGENDO ANTEQUAM AD ORDINES PROMOVEANTUR

§ 1.—*De Ordinario munere sedulo scrutandi mores candidatorum ante Ordinationem.*

1. Quam ingens Ecclesiae atque animarum saluti detrimentum inferant qui, divina destituti vocatione, sacerdotale ministerium inire praesumunt, angelicis ipsis humeris formidandum, neminem profecto fugit. Unde qui a Spiritu Sancto sunt positi regere Ecclesiam Dei, ad plurima atque ingentia avertenda mala ab ipsa Ecclesia atque a christifidelibus, sedulissiman adhibeant curam oportet, ne tanti ministerii aditus illis pateat, quibus, ob defectum sacerdotalis vocationis, aptandum est illud Christi Domini: «Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro» (Ioann., X, 1).

Haec Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, quae vi can. 249, § 3, competens est in causis,

quibus agitur de nullitate sacrae Ordinationis aut onerum eidem adnexorum, in iisdem agitandis, rem, ut plurimum, esse animadvertit de sacerdotibus querelam moventibus adversus sacram Ordinationem, qui, etsi probare non valeant se vi aut gravi metu fuisse adactos ad sacros Ordines suscipiendos, tamen ex iis quae in actis deducuntur, aperte ostendunt, se fuisse praepostero modo in sacram militiam adlectos, seu non satis fuisse exploratam vocationem, nec libera et spontanea voluntate sacros Ordines suscepisse. Quod grave incommodum ut penitus removeatur eadem Sacra Congregatio ea instanter recolere satagit, quae S. Paulus ad Timotheum scribens commendabat: «Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis» (V, 22), quaeque relata sunt atque fusius explicata in Codice iuris canonici: «Episcopus sacros Ordines nemini conferat, nisi ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate: secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis» (can. 973, § 3).

2. In primis itaque Episcopus rationem habere debet eorum, quae vicens ius de Seminariorum disciplina constituit, necnon ceterarum normarum, quas ad nostra usque tempora Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad rem praestituere placuit, uti Seminariorum alumni, iis qualitatibus se ornatos exhibeant, quae ad rite, sancte ac fructuose ministerium sacerdotale exercendum hodie requiruntur. His praeterea sunt accensenda quae ius canonicum prescribit quaeque respiciunt praeter irregularitates, impedimenta quoad sacros Ordines suscipiendos, uti in cans. 983-987 cautum est, ceteraque, quae can. 973 in subiecto sacrae Ordinationis exigat.

3. Quae ut probe executioni demandentur, Episcopus seu Ordinarius in perscrutandis moribus eorum qui adscribi petunt sacrae militiae, prae oculis habeat oportet, maxime interesse ut a limine eiiciantur, seu ne

ad tonsuram et minores Ordines admittantur ii, qui sacerdotio fugendo non sint apti, seu a Deo non sint vocati. Nam sacri Ordines, iuxta sacrorum canonum praescriptum, sub finem curriculum studiorum conferuntur: sed «turpius eiicitur, quam non admittitur hospes»: videlicet nemo nescit quam sit grave et difficile negotium, iuvenem dimittere quum paene absolverit studia theologica, nedum ob iam progressam aetatem, quocirca non facilis patet via ad aliud capessendum vitae et studiorum institutum, sed etiam ob humanarum relationum respectum, praecipue cum consanguineis et amicis qui soliti sunt culpa, seu levitati ingenii, vertere huiusmodi mutationes in vitae ratione, unde fit ut nullus non moveatur lapis ut ultra procedat qui eatenus progressus est.

4. Praeterea, prouti eruitur ex processibus apud H. S. C. agitatis de nullitate sacrae Ordinationis aut adnexarum obligationum, scrutatores bene perspectas habere debent rationes, quae passim adducuntur ab asserentibus, se veram voluntatem non habuisse recipiendi sacram Ordinationem, aut saltem se submittendi gravibus sacrae Ordinationi adnexis obligationibus. Hae rationes sunt aliae ipsis asserentibus *intimae* seu *intrinsecae*, veluti cupiditas commodiori clericali vitae, uti vulgaris opinio est, indulgendi, honores occupandi, lucra sibi facile comparandi, effugiendi (et haec est hodie communissima ratio) manuum laborem, —ne cogantur fodere, seu agros excolere cum parentibus et fratibus, aut aliam similem vitae rationem prosequi; —vel fruendi privilegiis clericalibus, et potissimum exemptione a servitio militari, aut a foro saeculari; vel saltem cum clericali statu altiorem gradum, etiam civiliter aestimatum, consequendi. *Extrinseca* ratio ipsi postulanti et veluti *classica* in his causis, est metus gravis, sive absolutus sive relativus, uti est metus reverentialis; utraque autem species metus est perspicacissime a canonica iurisprudencia explanata.

Itaque haec Sacra Congregatio, quo facilius Rđmi. locorum Ordinarii praescriptis sacrorum canonum obtemperare valeant, sequentes tradit normas, respicientes scilicet methodum scrutationum, fontesque determinans unde veritas hauriri possit. Sed mens non est Sacrae Congregationi, ut omnes et singulae inquisitiones in singulis casibus absolute peragantur, cum non semel ex his nonnullae supervacaneae sint, aut non possibiles sed ut ea colligantur, quae de moribus ordinandorum cognosci et explorata esse debent, antequam ad sacram Ordinationem tuto procedi possit.

5. Acta, quae in huiusmodi perscrutationibus conficiuntur, asservanda erunt sub secreto in Curiae tabulario.

§ 2.—*De scrutinio ante collationem primae tonsurae et minorum Ordinum faciendo.*

1. Appropinquante tempore, quo candidati erunt primam tonsuram et Ordines minores recepturi, scriptam ipsi exhibeant, duos saltem ante menses moderatori Seminarii petitionem, sua manu exaratam et subscriptam, qua candide significant, se libera omnino voluntate atque spontanea, primam tonsuram et postea Ordines minores postulare.

3. Eiusmodi petitio, cui attestatio addenda erit de suscepto Baptismate et de recepto Confirmationis sacramento, ab eodem Seminarii moderatore, una cum sua personali informatione de oratoris idoneitate ad clericalem statum, Excmo. Episcopo exhibebitur, qui nisi, attenda eiusdem moderatoris informatione petitionem a limine reiiciendam esse existimaverit, normas de quibus infra observabit.

3. Quod si agatur de alumnis in regionolibus Seminariis vel in ecclesiasticis collegiis, tum italicis tum exteris, praesertim huius Almae Urbis, degentibus, horum moderator, nisi habitualiter peculiare mandatum inquirendi iuxta sequentes normas de eiusmodi petitio-

nibus ab Episcopis alumnorum attenta locorum distantia, habuerit, petitionem pariter ab ipsis alumnis sibi traditam, proprio eorum Episcopo, sua informatione munitam, mittendam curabit.

4. Ordinarius, in utroque casu, uti par est, ipsam petitionem ad eundem Seminarii moderatorem remittet, cum mandato inquirendi eius nomine et auctoritate de idoneitate et qualitatibus oratoris, pro tempore quo ipse in Seminario fuit.

Si forte desit Seminarii Moderator et alius eius vi-ces gerat, aut Seminarii Moderatorem non eum esse, qui in casu utilem inquisitionem peragere valeat, censeat Ordinarius, hic mandatum inquirendi alii deferat.

5. Seminarii moderator, diligentissime notitiam de promovendis exquirere curabit ab alumnorum praefectis, praecipue si isti sacerdotali dignitate exornentur, tum etiam ab iis qui in Seminario doctorum gerunt munus, ipsosque non solum seorsum audiet, sed etiam insimul convocatos, de singularibus nempe vocationis signis, uti sunt pietas, modestia, castitas, de propensione ad sacras functiones, de studiorum profectu, de bonis moribus, ad quod inservire poterunt interrogatoria, congrua congruis referendo, quae in appendice habentur, iuxta Mod. II et III.

Quia in Seminariis dioecesanis coetus adesse debet deputatorum pro disciplina tuenda ad normam can. 1359, hi etiam, si de personis edocti sint, pernotandi erunt in scrutiniis faciendis,

Quum Seminarii moderator Episcopo remittit notitias a se collectas illius mandato, suum pandat iudicium seu opinionem suam manifestet exinde habitam de candidati moribus et ingenio. Huiusmodi iudicium non parvi ponderis profecto erit; siquidem praesumitur moderatorem, prae ceteris, de alumnis rectum iudicium fore latarum.

6. Ad rem autem intimius in singulis casibus perscrutandam, Episcopus, alumnorum, eorumque familiae pa-

rocho praeterea mandabit sedulo exquirere non modo de vocationis signis promovendorum, deque eorumdem virtutibus, seu pietate, sed etiam de anteacta ipsorum vitae ratione et de praesenti; ac maxime percontabitur quomodo sese gesserint feriarum tempore, an vindelicet quamdam animi levitatem ostenderint, vel profanis rebus indulserint; et quaenan sit publica ipsorum fama. (Mod II). Insuper num candidatorum parentes bona gaudeant existimatione, et quae sint rei familiaris rationes: num lucri seu quaestus causa, eos reluctantes importunis suasionibus, precibus vel minis, vel alio modo impellant obventurum damnum, sacra Ordinatione posthabita. Quod si haec incitamenta aut inconvenientia sint manifesta, vel prudens de iisdem adsit dubium, Ordinarius omnibus viribus ut ab incepto desistant ipsis suaviter suadebit, vel, si casus ferat, fortiter eosdem moneat parentes de poena excommunicationis ipso facto incurrenda, ab Ecclesia contra quocumque modo cogentes ad suscipiendos sacros Ordines statuta (can. 2.252).

7. Quod si parochus consanguinitate vel affinitate sit cum promovendo coniunctus, Episcopus ab alio parochus aut sacerdote in loco commorante notitias sumere curabit; idque praecipue quum aliquis sacros Ordines, antequam canonicae perficiantur publicationes, vel iisdem legitime dispensatis vi can. 998, erit suscepturus. Non parum etiam proderit ad praecavenda mala, quae ex sacrae Ordinationis oneribus temere susceptis oriri solent, inquirere, num aliquod abnorme ex parentibus in candidatum manavisse coniici aut suspicari fas sit, ac praecipue num corporis habitus ad libidinem sit proclivis, quod atavismum sapiat (Mod. II). Hanc inquisitionem quisquis Episcopus peragere curet pro suis subditis.

8. Praeterea Episcopus a Seminarii moderatore et ab huius gerente vices, seorsim auditis, quid de candidatis sincera fide sentiant, si fieri potest, expetat: quod quidem erit peragendum post iam acceptas notitias de ipsius mandato ab eodem moderatore collectas,

Aliae etiam personae sive ecclesiasticae sive saeculares probitate insignes, quae peculiare notitias de promovendis praebere possint, iuxta Mod. III interroganda erunt, si eas interrogare, ex rerum et personarum circumstantiis, opportunum ducat Ordinarius, praecipue quum aliquid supersit dubii de moribus et canonica promovendi idoneitate.

9. Nec satis; nam penitus candidatorum animus singulatim erit explorandus ab Episcopo proprio vel eo impedito, a Vicario generali, vel ex mandato, a Seminarii moderatore, seu etiam ab iis qui totius Seminarii disciplinae tutandae deputantur. Quod si agatur de alumnis degentibus in Seminariis extra dioecesim, mandatum ad hoc fieri poterit Episcopo loci, commorationis vel ecclesiasticae personae dignitate fulgenti, vel ipsi Seminarii moderatori. Oportet enim, ne decipiat vel fallat affectio, ut ordinandorum voluntatem Episcopus experiatur per se vel per alias memoratas personas, pleneque noscat, num promovendi alienis potius suasionibus, obtestationibus, pollicitationibus pressi, seu etiam minis compulsi ac perterriti, sacram Ordinationem expectant; num etiam cognitum eis prorsus existet, quaenam erunt onera ab eis suscipienda, ac praecipue quid caelibatus lex importet, et an parati sint hanc integre constanterque servare, divinae gratiae ope atque opportunis rationibus pericula vitantes, adeo ut eorum conversatio, prout in Pontificali Romano legitur, probata et Deo placita existat, et digna ecclesiastici honoris augmento. Unde expediens erit ut idem Episcopus verba, quae in Pontificali Romano referuntur, candidatis perlegat, atque accuratius explicet, scilicet, quod promovendi iterum atque iterum considerare debeant attente, quale onus appetant; quod ante sacram Ordinationem, cum sint liberi, liceat eis pro arbitrio ad saecularia vota transire; sacris autem susceptis Ordinibus, amplius per se non possint a proposito resiliere, sed Deo famulari perpetuo et castitatem servare ipsos oporteat; ideoque, dum tempus est,

adhortetur promovendos ut sedulo et coram Deo cogitent, quo certior idem Episcopus fiat, num in eiusmodi proposito perseverare ex animo intendant, atque ad eadem promissa implenda sint parati. Itaque verbis humanissimis ac more paterno eis suadabit, ut suum candide sibi animum pandant fidentissime, ipsis spondens suam, si opus fuerit, se praebiturum libenter operam, ut debita libertate fruantur; adeo ut, vero deficiente proposito, in re tam gravi aliud comparare sibi munus possint, magis sui ingenii proclivitati accomodatam.

§ 3.—*De scrutinio habendo antequam clerici maioribus Ordinibus initientur.*

1. Quando ex peractis perscrutationibus inferri possit, postulatorem ad studia theologica admitti posse, et primam tonsuram et deinde minores Ordines ei conferri, de inquisitionum actis in Curiae archivio asservatis iterum ratio habenda erit, quum alumnus postulabit ut ad subdiaconatum promoveatur. Ast Episcopus, seu loci Ordinarius non solum attendere debet quae iam acta sunt, sed, antequam subdiaconatus conferatur, candidati mores iterum perscruteur oportet, servata methodo iam explicata. Verum supervacaneum est adnotare, aut necesse esse denuo inquirere de iis, quae ad alumni originem, eiusque parentum indolem et ingenium atque anteactos alumni mores spectant, nisi iusta exorta sit suspicio notitias ante habitas veritati non fuisse consentaneas. Interest vero semper inquirere de alumni moribus eiusque moralibus qualitatibus, quomodo nempe istae se exhibuerint ex vita in Seminario acta, atque ex profectu in studiis. Quibus peractis inquisitionibus, si nulla adsit canonica ratio quae alumnum a subdiaconatu arcendum fore suadeat, hic scribere debet sua manu declarationem, juramento ab ipso firmandam, in Appendice relaiam (Mod. 1), qua scil. ipse fatetur se omnimoda libertate ad sacram Ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa. Quae

quidem declaratio erit similiter a candidatis exaranda antequam ad reliquos sacros Ordines promoveantur, diaconatum nempe et presbyteratum.

2. Quum res est de diaconatu conferendo, ut plurimum sufficit prae oculis habere iam peractas inquisitiones, nisi interea novae perpendendae sint circumstantiae, quae dubitare cogant de sincero proposito candidati, aut de eius morali idoneitate servandi onera, obligationesque exsequendi sacris Ordinibus susceptas.

Eiusmodi forte exhortum dubium depellendum erit, iis adhibitis inquisitionibus, iuxta normas traditas, pro casus qualitate, opportunis aut necessariis. Si vero res eo deducatur, ut clare pateat subdiaconum ad diaconatum promovendum, vel sacram vocationem reapse nunquam habuisse, aut, eandem corruptis moribus amisisse, tunc res erit intimius perscrutanda prouti modo dicemus de subdiacono ad diaconatum promovendo, et de presbyteratu conferendo.

3. Quoties Episcopus, antequam quis ad diaconatum aut ad sacerdotium initietur, pro certo habeat ex promovendi confessionibus aut ex aliis certis indiciis et probationibus susceptis, ipsum sacra revera vocatione esse destitutum, S. Sedem adire non omittat, candide et plane referens rerum statum, seu argumenta, quibus vehemens fovetur dubium de subdiaconi aut diaconi idoneitate ad onera maiora digne et fideliter perferenda. Res quidem agitur tanti momenti, ut Ordinariorum conscientia graviter onerata maneat de hac obligatione, ut periculum amoveatur manus imponendi diacono vel presbytero, qui gravissimo sacrorum Ordinum oneri sustinendo, impar sit.

4. Ne autem ad hoc extremum res perducatur, in animo Episcoporum et locorum Ordinariorum alte sit repositum, magnopere interesse, ab ipso limine sacrae Ordinationis eos esse depellendos, qui sunt indigni et non vocati. Hi enim sanctuarium cum ingressi sint, ut

humanae cupiditati aut alterius voluntati obsequantur, ut plurimum, non se praebent uti a Deo non vocatos, sed suam minus dignam agendi rationem omnimode obtegere seu simulare solent. Sunt alii, qui bona fide minores et sacros Ordines susceperunt, sed antequam presbyteratum consequantur, experiuntur se impares esse oneribus sacrae Ordinationis sustinendis aut se vitiis vel moribus saecularis implicarunt: in his, nimirum, facilius et apertius sanctae vocationis patebit defectus, iidemque ipsi, ut suae miserrimae conditioni consulatur, ultro efflagitabunt.

5 Maxime proinde interest praescriptas normas adamussim et diligentissime servari, antequam Episcopi candidatos ad clericalem militiam admittant; seu ad hunc finem dimissorias litteras pro suis subditis in aliena dioecesi degentibus Episcopo loci tradant. Exinde consequetur ut sacro Ordini adscripti digni dispensatores mysteriorum Dei evadant, atque magopere tueantur provehantque in terris regnum Dei, quod tum catholicae tum civili reipublicae feliciter benevertet.

In plenariis Comitibus die 19 decembris 1930 in Civitate Vaticana habitis, Emmi. ac Rdmi. Patres Cardinales instructionem hanc diligenti perpensam examine, concordi suffragio adprobarunt: eamque Ssmus. Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia diei 26 dicti mensis et anni audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis, ratam habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut eadem instructio omnibus Rdmis. locorum Ordinariis notificetur, ab ipsis adamussim observanda; praecipiens etiam ut in Seminariis quolibet anno, studiorum curriculo ineunte, alumni perlegatur, deque hisce praescriptionibus fideliter adimpletis in ordinaria de statu dioecesis relatione S. Sedem edocere non omittat; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Placeat Rdmis. locorum Ordinariis de huius Instructio-
nis receptione huic Sacrae Congregationis referre.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis
de Disciplina Sacramentorum, die 27 decembris 1930.

† M. CARD. LEGA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

D. JORIO, *Secretarius*.

APPENDIX

Mod. I

DECLARATIO PROPRIA MANU SUBSCRIBENDA A CANDIDATIS
IN SINGULIS SACRIS ORDINIBUS SUSCIPIENDIS, IURAMENTO
CORAM ORDINARIO PRAESTITO

«Ego subsignatus *N. N.*, cum petitionem Episcopo exhibuerim pro recipiendo subdiaconatus (seu diaconatus vel presbyteratus), Ordine, sacra instante Ordinatione, ac diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testificor in primis, nulla me coactione seu vi, nec ullo impelli timore in recipiendo eodem Sacro Ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eundem velle, cum experiar ac sententiam a Deo me esse revera vocatum.

«Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera caeteraque ex eodem Sacro Ordine dimanantia, quae sponte suscipere volo ac propono, eaque toto meae vitae curriculo, Deo opitulante, diligentissime servare constituo.

«Praecipuae quae caelibatus lex importet clare me percipere ostendo, eamque libenter explere atque integre servare usque ad extremum, Deo adiutore, firmiter statuo.

«Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normamss. Canonum obtemperaturum obsequentissime iis omnibus, quae mei praecipient Praepositi, et Ecclesiae disciplina exiget, paratum virtutum exempla praebere sive opere sive sermone, adeo ut de tanti officii susceptione remunerari a Deo merear.

«Sic spondeo, sic voveo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei, Evangelia quae manibus meis tango».

(Loco) ... die ... mensis anni ...

Mod. II

INQUISITIO OPE PAROCHORUM PERAGENDA

Parochus in sua scripta relatione super his mentem suam aperiet.

1. Num clericus in explendis pietatis operibus, vide-

licet in piis peragendis commentationibus, in audienda Missa, in visitatione Ssmi. Sacramenti atque in mariali rosario recitando sedulus et devotus exstet.

2. Num ad sacram Confessionem et ad sacram Synaxim crebro ac devote accedat.

3. Num diligenter ac pie in sacris functionibus suum ministerium expleat.

4. Num christianae doctrinae tradendae, quatenus huic extra Seminarium addictus fuerit (1) suam operam navet.

5. Num studium curamque prodat divinum provehendi cultum, animarum curandi bonum, atque ad sacra exercenda ministeria propensionem patefaciat.

6. Quibus speciatim intendat studiis, et qua sedulitate.

7. Num profanis perlegendis libris diariisque, odium contra fidem, vel bonos mores, foventibus, sit deditus.

8. Num autumnalibus feriis, extra Seminarium clericali veste usus sit atque utatur.

9. Num praedictis feriis cum aliquibus utriusque sexus personis non bonae famae, aut etiam bonae famae sed cum scandalo et admiratione fidelium, si agatur de personis alterius sexus, familiaritatem foverit, vel loca frequentaverit haud suspicione carentia.

10. Num in loquendo probum in integrum sese ostenderit.

11. Num occasionem praebuerit ut censoria nota afficeretur circa mores, vel Ecclesiae doctrinam et praecepta.

12. Quomodo se gerat cum pueris, puellis aliisque diversi sexus personis.

13. Num se proclivem exhibeat ad vitae commoda, ad copiosum hauriendum vinum, ad liquores sumendos, atque ad profana oblectamenta capienda.

14. Num caritatem ostendat, demissionemque atque obsequium iis qui praesunt, praebeat.

15. Quae sit publica de ipsius vocatione opinio,

16. Num inter parentes alicuius infirmitatis indicia, ac praecipue mentis morumque pravorum, adsint, quae atavismum suspicari sinant.

17. Num parentes, vel alter e familia ipsum impellant ad sacerdotium ineundum.

(1) Priusquam vero candidatus ad ultiores sacros Ordines promoveatur, sed nondum praefato numeri addictus fuerit, addici debet.

Mod. III

INTERROGATORIUM ALIIS PERSONIS PROBIS PROPONENDUM

Quo atem facilius personae probae interrogationibus responsa praebeant, haec ab ipsis erunt exquirenda:

1. An clericus sive in ecclesia, sive in consuetudine cum aliis habenda, pie, graviter, prudenterque se gesserit ac gerat.

2. An aliquod de sua vocatione ad sacros Ordines foveri possit dubium, et qua ratione.

3. An parentes vel alter e familia ad eosdem suscipiendos sacros Ordines ipsum impellant.

4. An familiariter utatur cum iis, qui in suspensionem veniant de fidei carentia, vel de malis moribus.

5. Quae sit publica et praecipue praestantiorum hominum existimatio de agendi ratione, tum morali tum religiosa eiusdem clerici, et de vocatione ad sacerdotium ineundum.

(Acta Apostolicae Sedis. 1931, p. 120).

EDICTO

Para adjudicar dotes a doncellas, huérfanas y pobres, naturales de la Ciudad de Soria con cargo a la Fundación de D. Francisco de la Peña y Atienza.

El Patronato de la mencionada Fundación ha acordado adjudicar en este año 1931 dos LEGADOS O DOTES, consistentes en DOSCIENTAS SETENTA Y CINCO PESETAS CADA UNO, el primero por el año 1930 en que quedó vacante, y el segundo por el de 1931.

En su virtud por el presente Edicto se convoca a LAS DONCELLAS que, habiendo cumplido la edad de DIEZ Y OCHO AÑOS y siendo NATURALES DE SORIA, HUERFANAS DE PADRE Y MADRE, POBRES Y DE BUENA CONDUCTA MORAL Y RELIGIOSA, deseen aspirar a los expresados legados, a fin de que en el plazo de VEINTE DIAS, a contar desde el 15 noviembre de este año, presenten en esta Secretaría de Cámara y Gobierno del Obispado los documentos siguientes.

1.º Solicitud dirigida al Excmo. y Rvdmo. Sr. Obis-

po, en la que se haga constar el domicilio actual de la aspirante.

2.º Partida del bautismo de la interesada.

3.º Partida de defunción de sus padres.

4.º Certificación de pobreza.

5.º Certificación de buena conducta, moral y religiosa, expedida por el Párroco.

Los Patronos adjudicarán los LEGADOS O DOTES a las que consideren más acreedoras a ello entre las aspirantes, y las agraciadas con los legados, cuyos nombres se publicarán en el BOLETIN ECLESIASTICO de esta diócesis, percibirán el importe de los mismos cuando hayan justificado haber contraído matrimonio canónico, o haber profesado como Religiosa en cualquier Instituto Religioso aprobado por la Iglesia. Pero si las agraciadas con DOTES dejasen transcurrir DIEZ AÑOS, a contar de la fecha de la adjudicación sin acreditar debidamente haber tomado estado en la forma indicada, perderán el DERECHO al LEGADO, que se le adjudicó el que será de nuevo adjudicado a otra aspirante al siguiente año.

Burgo de Osma, 15 de noviembre de 1931.

Bartolomé Marina.
Vicesecretario.

Agenda in collatione diei 26 novembris

Fabius, cum in extrema versetur necessitate, accipit, ad eam sublevandam, rem alienam quam consumit. In ipso momento rei accipiendae recordatur se habere chartam sortitionis loteriae proxime celebrandae; et cum in sortitione pingue lucretur praemium, quaerit a confessorio; utrum Cajo, cujus erat res in extrema necessitate accepta et consumpta, ipsius valorem restituere debeat.

Quaestio moralis

Utrum qui rem accepit et consumpsit in extrema necessitate a restitutione excusetur? Utrum Fabius in casu habeat aliquid in spe probabili?

Quaestio liturgica

Quid sit benedictio apostolica in articulo mortis, et quis eam dare possit?

T A B L A D E S E R M O N E S

que han de predicarse en esta Santa Iglesia Catedral durante el año eclesiástico de 1931-1932

FESTIVIDADES	DIA	MES	SEÑORES ENCARGADOS
Domínica I de Adviento.....	29	Noviembre	EXCMO. Y RVDMO. SR. OBISPO
Domínica II de Adviento.....	6	Diciembre	EXCMO. Y RVDMO. SR. OBISPO
Purísima Concepción.....	8	»	M. I. Sr. Magistral
Domínica III de Adviento.....	13	»	EXCMO. Y RVDMO. SR. OBISPO
Domínica IV de Adviento.....	20	»	M. I. Sr. Canónigo Bibliotecario
Natividad del Señor.....	25	»	» » Canónigo Bibliotecario
Circuncisión del Señor.....	1	Enero	» » Canónigo Bibliotecario
Epifanía del Señor.....	6	»	» » Canónigo Bibliotecario
Domínica de Septuagésima (Sta. Bula).	24	»	Sr. Administrador de Cruzada
Domínica de Sexagésima.....	31	»	M. I. Sr. Canónigo Bibliotecario
Domínica de Quincuagésima.....	7	Febrero	» » Canónigo Bibliotecario
Miércoles de Ceniza.....	10	»	» » Magistral
Viernes de Ceniza.....	12	»	» » Magistral
Domínica I de Cuaresma.....	14	»	» » D. José de Dueñas
Viernes I de Cuaresma.....	19	»	» » Magistral
Domínica II de Cuaresma.....	21	»	» » D. José de Dueñas
Viernes II de Cuaresma.....	26	»	» » Magistral
Domínica III de Cuaresma.....	28	»	» » D. José de Dueñas
Viernes III de Cuaresma.....	4	Marzo	» » Magistral

FESTIVIDADES	DÍA	MES	SEÑORES ENCARGADOS
Dominica IV de Cuaresma	6	Marzo	EXCMO. Y RVDMO. SR. OBISPO
Viernes IV de Cuaresma	11	»	M. I. Sr. Magistral
Dominica de Pasión.....	13	»	EXCMO. Y RVDMO. SR. OBISPO
San José.....	19	»	EXCMO. Y RVDMO. SR. OBISPO
Dominica de Ramos.....	20	»	M. I. Sr. D. José de Dueñas
Jueves Santo - Mandato	24	»	» D. José de Dueñas
» - Eucaristía.....	»	»	» Magistral
Viernes Santo - Pasión	25	»	» Canónigo Archivero
Pascua de Resurrección.....	27	»	» D. José de Dueñas
Ascensión del Señor	5	Mayo	» D. José de Dueñas
Dominica de Pentecostés	15	»	» Magistral
Dominica de la Sma. Trinidad...	22	»	» Canónigo Archivero
Triduo Eucarístico {	27	»	» Chantre
Viernes.....	28	»	» Chantre
Sábado.....	29	»	» Magistral
Domingo...	29	»	» Magistral
San Pedro y San Pablo	29	Junio	»
Santiago Apóstol.....	25	Julio	» Canónigo Archivero
San Pedro, Obispo de Osma.....	2	Agosto	» Canónigo Archivero
Asunción de Ntra. Señora.. ..	15	»	Sr. Maestro de Ceremonias
Sanfísimo Rosario.....	2	Octubre	M. I. Sr. D. José de Dueñas
Fiesta de N. S. J. C. Rey	30	»	» » Magistral
Todos los Santos.....	1	Noviembre	Sr. Maestro de Ceremonias